



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XXIII. Wezilo Elector VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

XXIII. WEZILO ELECTOR VII.

WEzilo Sigfridi Successor ubi natus, aut educatus, & summis muneribus sese reddiderit idoneum, non meminerunt Historici, contenti memorasse solum, quod ab exordio dignitatis suae Henrico IV. & Pseudopontifici Clementi verius pertinaciter, quam constanter animum suum devoverit, Gebhardo Salisburgensi Archipraesule & Episcopis ferè universis in Concilio Moguntino refragantibus, & Deum rectè factorum remuneratorem scelerumque vindicem testantibus. Torrenti demum cedendum ratus pro Pontifice contra Caesarem ferre suffragia, & dicere sententias coepit: unde damnato errore suo Archipraesul & Elector Imperij intentata & inflicta ab Henrico vulnera magno tulit animo, ut disceret pati & mori: mortuus namque est, postquam an. 4. potius sedere desideravit, quam sedit sub Gregorio VII. & Victore III.

SECULUM XII.

XXIV. RUTHARDVS; ELECTOR VIII.

Ruthardus ex Erfurdia ad D. Petrum Abbate electus Moguntiae Elector, statim in Archiepiscopatus sui exordio refragari pro viribus Henrico IV. constituit, contempto quovis corporis & fluxarum rerum periculo. Atque conceptam animo constantiam non magis verbo, quam opere exhibuit: ab Henrico enim sede Moguntina in Thuringiam exul pulsus, annis ferè 9. in castello Hartesbergensi gravem rerum inopiam pertulit, proventus interea Moguntinos rapiente Henrico proscripso Caesare. Tandem an. 1105. Henrici V. contra patrem pro Ecclesia & Imperio pugnantis potestate unà cum Episcopis aliis restitutus Ruthardus, anno proximo Ingelhemij Henricum genitorem insignibus Imperij exiit, ut filium iisdem indueret, gratulante Germania